



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

III. De Distributionibus quotidianis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

40. *Constitut. Pii IV. quæ incipit, Suprema, edita 7. Calend. Decemb. 1564.*

Demum Parochos, ab Ecclesiis & ovibus suis absentes, Jure antiquo beneficiis fuisse privatos, aut saltem privari potuisse, exploratum est ex c. *Quia in tantum 5. c. Majoribus 8. c. Relatum 11. c. de Præb. & dignit.* A Tridentino autem (seclusis diœcesium statutis & consuetudinibus particularibus, hodie observandis) arbitrio Episcoporum relinquitur, an contra eos absentes, si per Edictum (etiam unicum, sed peremptorium) etiam non personaliter & extrajudicialiter citati, contumaces fuerint, per censuras Ecclesiasticas, fructuum, quos suos jam fecerunt, subtractionem, sequestrationem, vel privationem beneficii procedere velint, *V. Si quis autem cit.* Unde manifestè colligitur, curatum ob absentiam post monitionem beneficii non privari ipsò Jure; cum, si istò sic privatus esset, in arbitrio Episcopi non foret, quò ex relatis remedijs uti velit, *Flamin. de Resignat. lib. 1. q. 10. n. 61. & Barbosa de Offic. Parochi cap. 8. n. 72. id declaratum, asserentes.*

ARTICULUS III.

De Distributionibus quotidianis.

SUMMARIUM.

41. *Distributiones alie propriè, alie impropriè dista sunt:*
42. *Quarum ista funguntur vice præbendarum:*
43. *Illa ab his distincta,*
44. *Et introductæ sunt ad augendum in Ecclesiis cultum Divinum:*

45. *Eique assentibus canonicis & aliis clericis debentur.*
46. *Non etiam absentibus: nisi absint ob infirmitatem,*
47. *Justam & rationabilem necessitatem corporalem,*
48. *Injustam carcerationem, excommunicationem &c.*
49. *Vel evidentem utilitatem Ecclesie:*
50. *Cujus negotia gerentes & Episcopo servientes canonici de Jure solos fructus beneficiales:*
51. *Vi consuetudinis etiam distributiones percipere possunt.*
52. *Ecclesia Præposito simul & Canonico presentibus debentur dua.*
53. *Absentium distributiones aliquando accrescunt presentibus:*
54. *Aliquando cedunt fabricæ, vel penes massam remanent.*
55. *Præsentes perceptas absentibus donare:*
56. *Non etiam remittere possunt.*
57. *Absentium distributiones percipiunt alii verò,*
58. *Non sicut tantum, præsentibus.*

Distributiones sic dicuntur; quod clericis juxta cujusque merita laborem & qualitatem tribuantur; distribuere enim suum cuique tribuere est, *arg. l. 1. ff. Famil. hercis. Moneta de Distrib. p. & q. 1. n. 9.* Sunt autem Distributiones duplicis generis; quædam enim funguntur vice præbendarum; sicut fit in Ecclesiis, quæ non habent præbendas distinctas, sed proventus sive redditus communes, ex quibus singulis canonicis aliisque clericis residentibus, uti & iis, qui Jure vel consuetudine pro presentibus habentur, ut sunt v.g. absentes causâ studiorum aut negotiorum, datur aliqua portio, v.g. certam mensuram panis aut vini, vel pecuniæ quantitas ad

- titas ad necessaria alimenta: quæ portio inter eos singulis diebus, hebdomadis, mensibus distribuitur & datur etiam, quando horarum decantationi aliisque divinis non interfunt: cujusmodi distributiones pro veris præbendis habentur; ne aliâ canoniam sine præbenda, & beneficium sine fructibus detur, Glossa in c. *Unic. V. Receptis. in 6. Azor p. 2. Instit. lib. 7. cap. 7. q. 3. & cit. Moneta q. 3. n. 3.*
43. Alia verò & propriè dictæ atque à præbendis distinctæ Distributiones sunt portiones quædam reddituum Ecclesiasticorum, quotidie distribui solitæ iis tantum clericis, qui statutis horis diurnis aut nocturnis officio Divino, puta sacrificio Missæ, Matutino, Vesperis &c. interfunt: quæ in Jure *Manualia & Virtualia, c. De casero 7. hic c. Unico in 6. & c. Olim 16. de V. S.* passim verò *Præsentia* nuncupantur: & plerumque in pecunia, alicubi in certis vini & frumenti mensuris solvuntur, Azor *cit. cap. 7. q. 1. & 3. Barbosa de Canon. & dignit. cap. 21. n. 2. & Pirching ad hanc Rubric. n. 78.*
44. Hujusmodi & propriè dictas Distributiones, favore cultus Divini in Ecclesiis conservandi augendique, introductas, planum est ex c. *Unic. cit. & ibi* notat Glossa *pr. Joan. Monach. n. 5. & cit. Moneta q. 5. n. 35.* ad cujus studium in clericis excitandum S. Synodus Tridentina *sess. 21. cap. 3. de Ref. præcepit, Ut in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, in quibus nulle sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues sunt, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum & quorumcunque proventuum & obventionum, tam dignitatum, quam canonicatum personatum, portionum & officiorum separaretur & in distributiones quotidianas convertatur.* Quam tamen, licet saluberrimam, constitutionem non ubique in praxin deductam, notat Laiman *Lib.*

4. *tract. 2. cap. 7. n. 1. q. 2.* Ubi autem introducta est,

Regulæ generalis instar habetur, Distributiones quotidianas illis duntaxat clericis deberi, qui statim horis officiis Divinis interfunt: quæ desumitur ex c. *Unico cit. & laudati Concilii Sess. 24. cap. 12. V. Distributiones, de Ref.* Ratio est, quia, ut dictum, institutæ sunt ad cultum Divinum augendum per præsentiam & frequentiam ministrorum. Unde, licet clerici in loco beneficii residentes istius fructus grossos percipiant, quantumvis à Divinis officiis subinde & sæpe absint, distributiones tamen non percipiunt, nisi dierum & horarum, quibus divinis officiis sunt præsentibus, eorumque celebrationi aut altari ministerium suum exhibent, textus & Glossa c. *Unic. cit. V. Adferunt, Covarruvias Lib. 3. var. cap. 13. n. 3. & cit. Laiman. cap. 6. n. 1.*

Excipiendi tamen ab hac Regula sunt, qui à Divinis officiis absunt ex justa causa: cujusmodi c. *Unico cit.* tres referuntur.

Prima est Infirmitas: ob quam præsentibus in divinis habentur, & distributiones percipiunt canonici, qui ab iis absunt propter podagram aut aliunde proveniente[m] corporis debilitatem, propter lepram, aliūve morbum contagiosum, propter sumptionem medicinæ aut venæ sectionem, propter balneum aut iter recuperandæ sanitatis causâ aliquò susceptum, *cit. Moneta p. 2. q. 6. à v. 8. & Barbosa in c. cit. à n. 9.*

Secunda, justa & rationabilis Necessitas corporalis: propter quam præsentibus habentur, qui absunt propter senium, captivitatem, incarcerationem, exilium vel etiam excommunicationem injustam, propter periculum vitæ imminens ab inimico sibi insidiantem: si tamen ita detenti interesse soliti sunt, quando infirmi-

infirmitate aut tali necessitate non impediebatur, *citt.* Covarruvias n. 8, & Moneta n. 13. § 21.

48. Dubium est de excommunicato, suspendente, incarcerato justè. Ratio dubitandi est; quòd ob infirmitatem etiam propriâ culpâ contractam absens distributiones non amittat: quòd à S. Cong. Cardd. Interpp. declaratum, testis est Moneta *citt.* q. 6. n. 11. Sed alia ratio est talis infirmi, alia justè excommunicati, suspensi, incarcerati &c. quia infirmis generaliter & sine ulla inter morborum causas distinctione distributiones conceduntur *c. Unico cit.* Incarceratus autem, excommunicatus & suspendus absentes eas percipere tantum possunt ratione Justæ & rationalis necessitatis corporalis: ex qua non absunt, qui ex propria culpa & per sententiam justam incarcerati aut censurati Divinis nequeunt interesse, ut rectè advertit *citt.* Moneta q. 5. n. 82. ut taceam; quòd justè excommunicatus non necessitate, sed solius malitiôsæ voluntatis contumaciâ absit, à qua recedenti & satisfacere parato, si absolutio indebitè negaretur, perinde ut ob excommunicationem injustè inflicta absens, ipse quoq; luca retur distributiones, *Garcias p. 7. de Benef. cap. 13. n. 93. Suarez de Censur. disp. 13. s. 2. n. 16. § 20. Vasquez Opusc. de Benef. cap. 4. §. 3. n. 230. & Palao Tract. 7. disp. 3. p. 9. §. 2. n. 4.*

49. Tertia est evidens Utilitas: non quidem merè privata, sed Ecclesiæ propriæ & verisimilius etiam Universalis: cujus utilitas excellentior est quacunque privata; cum in omnes Ecclesias particulares eedundet, *citt.* Palao §. 3. n. 1. & Pirrhing n. 90. ob quam causam distributiones, presentium instar percipit absens, imprimis ad gerenda Ecclesiæ suæ negotia vel ejus jura defendenda; ad subjectas ei Ecclesias & clericos visitandos,

aut exercendam jurisdictionem ei annexam: ad exercendam animarum curam in parochia canonicatus suo unita; non in alia extranea, sive ei per unionem non incorporata, quàm fortè canonicus obtineret, ut à S. Congreg. declaratum, referat *citt.* *Garcias p. 3. cap. 2. n. 337. & Barbosa in Trident. Sess. 22. cap. 3. n. 1.* Dein absens; ut nomine Capituli visitet limina Apostolorum, vel Concilio aut Synodo intersit; ut legationem obeat, & qui obesses ab Ecclesia est datus. Ita *citt.* Palao §. 3. à n. 3. & Pirrhing n. 91. Præterea Penitentiarius, qui aliis in choro Pœnitentibus in Ecclesia excipit penitentium confessiones, ex decreto *citt.* Concilii *Sess. 24. cap. 8. in fin. de Ref.* & probabilius etiam alii clerici, illum ob multitudinem penitentium adjuvantes, Moneta p. 2. q. 11. n. 68, & Palao *citt.* p. 9. §. 5. n. 3. sicut & canonicus eò tempore Missam celebrans jussu superioris: non præcisè sub libitu aut devotione, Gonzalez *ad Reg. 8. Proem. §. 7. n. 181.* nisi etiam tali distributiones permittat consuetudo. Demum, canonicus Lector, cum in propria Ecclesia concionatur vel legit: qui ex concessione Greg. XIII. non solum pro hora, sed pro toto die, quò ad concionem dicit aut legit, ad effectum percipiendarum distributionum præsens reputatur, Gonzalez *citt.* §. 7. n. 180. *citt.* *Garcias cap. 2. n. 119. & Palao §. 6. n. 1.*

Neque, ut primò intuenti videri so- queat, distributiones ex causa Utilitatis Ecclesiæ absentibus generaliter denegandas, evincit, & *c. Unico cit.* adversatur; quòd *c. Cum non deceat 30. de Elect. in 6.* Ecclesiarum suarum utilitatem & negotia prosequentes beneficiorum suorum fructus integrè percipere asserantur, *Quotidianis distributionibus exceptis*; & canonicis in Episcopi obsequio absentibus, sicut beneficiorum suorum fructus conceduntur,

ceduntur, sic Victualia seu distributiones expressè denegentur *c. De catero 7.* quantumvis Ecclesie Cathedralis canonicus in Episcopi servitio absens Ecclesie sue deservire, & propter ejus utilitatem abesse intelligatur, *can. Similiter 16. q. 1. & c. Ad audientiam 15.* ubi Glossa fm. & Panormit. *n. 3.* quia non desiderantur horum textuum cum *c. Unico cit.* conciliationes. Ex variis, quibus hoc cum illis in concordiam reducere Interpp. conati sunt, verisimilior est, quam asserunt Glossa in *c. Unico, cit. V. Utilitas in addit.* Joan. Andr. in *c. cit. n. 4.* & Covarruvias *cit. cap. 13. n. 8.* asserentes, distributiones quidem beneficiatis propter Ecclesie sue utilitatem à divino officio absentibus non deberi spectatò Jure communi, *e. Cum non deceat & c. De catero cit.*

§ 1. cum secundum primam institutionem iis tantum debeantur, qui Divinis interfunt: hoc tamen non obstante, ejusmodi Utilitatis causà absentibus eas deberi, quando consuetudine introductum est, ut ex tali causa absentes eas percipiant; quam proinde consuetudinem *c. Unico cit.* à Bonifacio VIII. licet alias minus rationabiles apertè damnet, approbatam cum DD. *cit. sentent. cit.* Azor *lib. 7. q. 14.* Laiman *cap. 7. n. 3.* & Pirrhing *n. 92. in fine.*

§ 2. Dubium de distributionibus est primò, an qui ex privilegio vel consuetudine in una eademque Ecclesia obtinet duo beneficia, vg. Præposituram & Canonicatum, sicut alicubi in Germania nostra solet, percipiat duplices distributiones. Negat id Lud. Gomez *Traët. de Experimentis n. 54.* & Moneta *cit. p. 2. q. 4. n. 6.* quòd talis non magis præfens sit, nec plus labore, quàm qui Præpositus aut Canonicus tantum est. Nihilominus duplices ei deberi, cum Felino in *c. Cum olim 12. de Sent. & re judic. n. 2.* Panorm. *ibid. n. 6.* & aliis Interpp. defendunt

Hoieda *p. 1. de Incompat. benef. cap. 12. à n. 15.* Covarruvias *cit. cap. 13. num. 6.* Laiman in *c. 1. de Consuetud. in 6. n. 7.* & Barbosa in *c. Cum olim cit. n. 2.* Ratio est; quòd quis duplici munere fungi simul valeat, modò exercitium unius alterius usum non impediat. Cum ergo se mutuo non impediant munera & functiones Præpositi & Canonici, utriusque munere fungenti de Jure debentur utrique respondententes distributiones; quia ex una, nihil prohibet plura jura & munera in eandem personam concurrere, ut colligitur ex *l. Tutorem 21. ff. De his, quæ ut indignis &c.* ex altera verò parte is, in quem jura & munera duo concurrunt, censetur jure personarum diversarum, & jure utrique competente gaudet, Barbosa in *c. Diversis 5. de Cleric. conjug. n. 2.* Confirmatur; quia juxta *c. Cum olim cit.* si quis in eadem Ecclesia duplicem dignitatem vel præbendam, vg. Præposituram & Canonicatum simul obtineat, vocem in electionibus & aliis actibus capitularibus duplicem habere potest, Gonzalez in *c. cit. n. 2.* Ergo etiam, qui simul Præpositus & Canonicus est, in choro præfens duplices percipiet distributiones, præsertim post Tridentinum & in Ecclesiis, in quibus tertia pars fructuum utrique tam dignitati quàm beneficio detracta & conversa est in distributiones, ut probè observat Laiman *cap. 7. cit. n. 4.*

In contrarium allatum argumentum leve est; quia, licet talis non magis præfens sit physicè, quàm is, qui est Præpositus tantum, magis tamen præfens est moraliter; cum fungatur munere duorum. Quod præsertim locum habet, ubi Canonici in choro præfentes non per se ipsos, sed per vicarios psallunt ex Consuetudine: quam hac in re servandam, arg. *c. Unico, cit.* monet Laiman *l. cit.*

Dubium

53. Dubium secundò est, an distributiones, ab aliquibus propter absentiam amissæ, accrescant aliis. Sepositâ Ecclesiarum Consuetudine, quæ hac in re locum maximè habet. Affirmativam aliqui: alii Negativam tuentur, & in utramque partem allegant S. Synodum Tridentinam: quæ, sicut pro die præsentia assignatas distributiones inter eos, qui divinis interfuerint, proportionaliter dividendas, non obscure *Sess. 21. cap. 3. & Sess. 24. cap. 12. V. Distributiones de Reformat.* sic obventuras absentibus, si divinis interfuerint, fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco arbitriò Episcopi applicandas, decernit *Sess. 22. cap. 3. de Ref.* quæ decreta, usque non minùs inter se pugnantes DD. Opiniones in concordiam reduci satis congruè possunt auxiliò distinctionis inter tres casus.

Primò enim, si ex communibus beneficiorum redditib⁹ detracta, vel ex fundatione aut à fidelibus pro defuncti Anniversario assignata sit certa portio distribuenda inter eos, qui certa die officio Divino interfuerint, absentium portio præsentibus accrescit, secundum decreta Concilii priora, consona *Constitutioni Bonifacii VIII. relatæ c. Unic. cit. V. Statutum*, ut cum Franco *in V. cit. n. 4. Navarro Manual. cap. 25. n. 123.* docent *citt. Azor Lib. 7. cap. 7. q. 8. in fine Covarruv. cap. 13. n. 7. Gutierrez Lib. 1. Q. Canon. cap. 1. n. 106. & Moneta p. 3. q. 6. n. 16.* quorum de hoc casu sensus consentaneus est æquitati naturali; cum enim ex aliorum absentia majorem laborem subeant præsentibus, æquum est; ut, si aliud Ecclesiæ statutò vel usu receptum non sit, istorum major sit remuneratio: & in quandam illius compensationem recipiant, quod ex communibus redditibus detractum est, & si divinis interfuerint, absentibus obveniret.

Secundò, si ex redditibus certarum dignitatum, officiorum, vel præbendarum propriis & separatis detracta sit aliqua pars, eas dignitates, officia &c. obtinentibus pro præsentia distribuenda illorum absentium portio aliis præsentibus non accrescet, sed Fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio erit applicanda, juxta ejusdem Concilii posterius decretum, *citt. Azor q. 8. pr. Laiman cit. c. 7. n. 5. & Moneta q. 9. n. 29. & 35.*

Tertiò, si massa aliqua habeatur, ex qua certa aliqua portio, vg. medius florenus ei, qui solenni Missæ: & certi aliquot rummi ei, qui Matutino aut Vesperis interest, dandi sint, absentium portio apud massam Ecclesiæ in ejus utilitatem convertenda remanebit, *citt. Gutierrez n. 106. in fine & Garcias p. 3. de Benef. cap. 2. n. 444.*

Dubium tertiò est, an distributiones absentium, quæ accrescunt præsentibus, illis remitti valeant ab istis. *Remitti*, inquam: non postquam ab his perceptæ, & ipsis plenè quæsitæ ac possessæ jam sunt, absentibus liberaliter donari; hoc enim non prohibet Tridentinum *Sess. 24. cap. 12. V. Distributiones cit.* Sed tantum remissionem, quæ vg. capitulares præsentibus sibi obventuras absentium distributiones istis remitterent: & collusionem, quæ vg. iidem, interveniente aliquâ conventionem vel sub spe remissionis mutæ eas his remitterent: quæ *V. cit.* non prohibita duntaxat, sed irritata quoque est; ut distributiones ab eo, cui remissæ sunt, salvâ conscientia nequeant retineri, sed Ecclesiæ fabricæ vel alteri loco pio sint restituendæ: prout declaratum, testis est *citt. Garcias n. 431.* Ratio, quæ ad hoc decernendum S. Synodi PP. permovit, ea fuit; quòd, tali remissione permisâ, occasio daretur canonicis officia divina negligendi sub

- spe remissionis seu condonationis & recuperationis distributionum amissarum.
57. Dubium quartò est, an ex iuris infirmitatis, corporalis Necessitatis, vel evidentis Ecclesie Utilitatis causâ absens perinde, ut personaliter præsentis, lucratur distributiones eorum, qui illegitimè absunt. Affirmativam enim suadere videtur ratio, partim; quòd iustâ causâ absens iure habeatur pro præsentis; ut proinde ipsi non minus quam aliis personaliter præsentibus distributiones illegitimè absentium accrescant; quia hæc isdem, qui proprias percipiunt, concessæ videntur à Tridentino *Sess. 21. cap. 3. & Sess. 24. cap. 12. & V. Statuimus eitt.* partim verò; quòd absentibus ex iusta causa concedantur distributiones, quas perciperent, si Divinis interessent. Cum ergo, si his interessent, perciperent distributiones absentium, has etiam percipient legitimè absentes; quod praxi Ecclesiarum Hispaniæ confirmat Palao *cit. disp. 3. p. 8. n. 7.* qui tamen *n. 8.*
58. Negativam iure spectatò tanquam probabiliorè præfert cum Bonacina *disp. 2. de Horiæ Canon. q. 7. p. 1. in fine,* quam cum Barthol. à S. Fausto *Lib. 3. de Horiæ Canon. q. 91.* etiam tuetur Barbosa *de Canon. & dignit. cap. 22. n. 19.* Ratio est; quòd his illegitimè absentium distributiones accedere expressè non statuat *c. Unic. cit.* neque etiam *citt.* decretis Concilii Tridentini: à cuius Interpp. Cardinalibus absentium distributiones deservientibus, quales non sunt, qui infirmitatis aliave etiam iustâ causâ absunt, accrescere, declaratum est apud Garciam *cap. 2. n. 465.* Unde inferunt, illas his non adstruendas, partim; quòd privilegium, vi cuius ex iustâ causâ absentes distributiones percipiunt, cedat in diminutionem cultûs Divini, ad quem augendum illæ sunt introductæ; atque idcirco, tanquam odiosum, ad participationem distributionum per illegitimam absentiam amissarum non sit extendendum, *arg. Reg. Olla 15. in 6.* partim verò; quòd, cum majorem laborem ex aliorum, absentia subeant, & istorum vice fungantur verè, & non fictè tantum præsentis, id quod absentes non percipiunt, verè, non fictè præsentibus accrescere conveniens sit,



TITULUS V.

De Præbendis & Dignitatibus.

Clericis in Ecclesiis suis residentibus suoque fungentibus officio, ut de Altari, cui inserviunt, vivant, atque ob inopiam ad viliora munera non facile abstrahantur, conferuntur Præbendæ &

Dignitates: quorum nominum priorum generatim acceptò & præsentem Rubricâ inferiora: posteriori verò majora beneficia Ecclesiastica intelliguntur, Barbosa *ad hanc Rubr. p. 6.* & ibi Pirrhing *n. 1.*

ARTICU-